

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

IV.

OTTONIS III. IMP. DIPLOMA DONATIONIS ET BIRCH-
TILONIS COMITIS CHARTA FUNDATIONIS MONASTERII
S. CYRIACI IN SULZBERG.

ANNO DCCCCXCIII.

Ex Tabulario Bada-Darlacensi.

In nomine Ste & indiuidue Trinitatis, OTTO diuina fauente clementia Rex, Omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet atque futuris, Notum esse uolumus, qualiter nos ob petitionem fidelis nostri BIRCHTILONIS comitis ad ecclesiam sancti Cyriaci martyris in villa *Sulziberg* uocata in honorem illius constructam & consecratam de nostra proprietate dedimus quicquid habuimus in villa *Sulziberch* dicta ad nostrum ius pertinens in pago *Brischouue* nuncupato & in comitatu superius iam scripti birchtilonis comitis situm, atque eandem proprietatem cum omnibus utensilibus illuc rite pertinentibus, in mancipiis utriusque sexus, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, uineis, siluis, uenationibus, aquis aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis, viis & inuis exitibus & Reditibus quæsitis & inquirendis cunctisque aliis appendiciis quæ adhuc dici possunt, à nostro iure in ecclesie ius perpetualiter habendam ibi transfudimus. Et ut hec nostre auctoritatis donatio presenti ac futuro tempore firma permaneat, hanc

A 3

perceptionem inde conscriptam sigilli nostri inpressione insigniri iussimus, manuque propria ut infra uidetur corroboravimus. Notum sit presentibus scilicet ac futuris, qualiter ego BIRCHTILO pro Remedio anime mee monasterium in honore Sci Cyriaci martyris in loco qui dicitur *sulzibere* construxi, Ubi requiescere usque in diem iudicii cupio, ac predium quod hereditario iure visus sum habere in *Wilre*, in *Rinka*, in *Rimisingen*, in *Rutthin*, in *Verstat*, in *Bucgingen* ad prefatum locum tradidi perpetualiter in victualia congregationis possidendum. Eo scilicet tenore, ut si qua iniusta potestas aliquid de prefato Monasterio diripere, seu aliquid inde prestare conatur, Coheredes quod remaneat in suam redigant potestatem

Signum Domini Ottonis (*locus monogrammaticus*) gloriosissimi Regis Hildebaldus Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi Recognovi: Data x Kal. Julii Anno Dominice Incarnationis d. cccc.xciii. Indiſt. vi. Anno autem tercii Ottonis regnantis decimo, Actum Altſtedi feliciter amen.

Nota. Instrumentum hoc in duas partes scissum sine notis chronologicis edit HERRGOTT. *Genealog. Habsburg. Cod. Dipl.* num. 154. sq.
